Ἰησοῦ Χριστὲ ἐλέησον ἡμᾶς!

DISSERTATIO
Historico-Theologica.
DE
CHRISTIANISMO
Græcorum Hodiernorum.

Opposita

LEONI ALLATIO, Theologo Rom:

Assertori,

Perpetuæ Consensionis,

Inter


Occidentalem seu Latinam *Ecclesiam*,

& Orientalem,

Quam,

Ex licentiâ R. Facult. Theologicæ

Academiæ Rostoch:



PRÆSIDE

Viro Adm. Reverendo,

DN. D. JOHANNE QVISTORPIO,

Fac: Theol: SENIORE, & DECANO, &c.

d. VIII Novembris, horis Matutinis,

publicè, in Auditorio Magno,

mansuetè assertum ibit,

JOHANNES Völckener/ Rostoch:

S.S. Theol. Stud.



RostochI, Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

Anno clɔ Iɔc LXV.

Christianissimi & Potentissimi,
Galliæ & Navarræ REGIS,
per Germaniam *Legato* Extraordinario.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino,
DN. ANTONIO de LUMBRES,
Libero Baroni in Herbinghen, Loz, & la Cloye,
Consiliario Regio intimo, ac Regii Ordinis Equiti.

Item
Serenissimorum Principum,

Pr. CHRISTIANI LUDOVICI, Pr. GUSTAVI ADOLPHI,
Ducum Mecklenburgicorum,
Legatis,

Illustribus, Generosissimis, & Magnificentissimis,

Dn. Viet Wildebrand von Wiedenbrück/ Dn. Hæreditario in Dodenhausen & Ottenbergen/ Celsissimi Consiliario præcipuo, Cancellario M. & Cameræ Inspectori.

Dn. Ernesto Bünsow/ Illustrissimi Consiliario intimo, & R. Capituli Razeburgensis Canonico Seniori gravissimo.

Dn. Diederich von der Lühe Dn. Hæred. in Telchaw, Collegii Status&CameræPræsidi, Illustrissimi Consiliario primario.

Dn. Adam Henning Bülow Ducissæ Aulæ Magistro, & Consiliario Cameræ splendidissimo.

Dn. Johanni Christophoro Haußwedel/ JCto celebratissimo, & Cancellariæ Directori.

Τοῖς ἡγεμονικοῖς μακαρίοις

Sal. in CHRISTO.

INvictissimi Galliarum Monarchæ, LEGATE auspicatissime, qvi juxtà cum Serenissimorum Nostrorum irenicis Consiliariis intimis, Rostochii modò præsens es, ut inter mutuò dissidentes Natales DUCES Nostros, pacem auream resuscites, ne incrudescant concurrentes discordiarum nubeculæ, in tempestatem cruentam & atrocem nimis.

VOS, omne qvod est, tam diu manere atqve persistere, qvamdiu sit unum; sed interire atqve dissolvi, pariter atqve unum esse desierit, me multò accuratius & prudentius cognoscitis. Uti lapis grandis innatat undis, comminutus sidit; ita per Concordiam sustinemur in Provinciâ omnes, per discordiam pessum imus: neqve Spiritus humanus vivificat membra amplius, nisi fuerint unita. Hæc Princeps Pacificatio, in veritate & justitiâ fundata, Vobis Arbitris Eminentissimis, ut ex votis omnium succedat, intimis ad thronum Gratiæ suspiriis solicitant, qvotqvot Potestatibus his supereminentibus subjecti sunt; & Pacem, vel cum maximo damno conjunctam, utiliorem Bello censent.

VOS autem Augustos Pacis Conciliatores, Princeps Pacis *Jesus Christus*, vicissim Beatos pronunciabit. Matth. V. 9. qvi vult, ut in isto studio pacificationis alacriter progrediamini, si filii Dei censeri velitis.

O mei! estote S. Bernhardi Sectatores, Qvi

Nullum turbavit; DISCORDES PACIFICAVIT:

Læsus sustinuit: nec sibi complacuit.

Habete JESUM, mansuetum Pacis nostræ cum DEO internuncium, auctorem, & audietis SALOMONES Mecklenburgici, seu vetustæ gentis Henetæ. Nosq; omnes currente

rente hoc Seculo Aureo, illud שלום Hebræum acclamabimus, cum tripudiis, Vobis!

Utinam parili omine & successu, *pax Ecclesiastica* publica, Christo unicè innixa, inter omnes Terræ incolas sanciri posset! Capiunt Barbaricæ & Mahumedanæ terræ, pl. hujus Sanctæ Communionis sitientes animas, sicut hæ nostræ Pagellæ abundè docent. Cujus Unionis Mysticæ turbatores, jam ab initio Nov. Test. detestatur Irenæus Episc. Lugdunensis Galliæ, adversus Hæreses l. IV. cap. 62. *Judicabit Deus eos, qui Schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamq; utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiæ, & propter modicas & quaslibet causas, magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & dividunt, & quantum in ipsis est interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes, verè liquantes culicem, & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio, quanta est Schismatis pernicies.*

Qvantum in Vobis est, *Pacificatores Beati*, militate Regno Christi, ut, *qui Christum* θεάνθρωπον *Unicum Mediatorem confitentur, & Trinitatem divinam æquali bonore, juxta revelatum V. D. colunt*, Orbem incolant & occupent. Et Summus rerum Arbiter, Regum ac Principum vestrorum Imperium omnigenâ prosperitate beabit; ac per Vos, in mutuum amorem vicissim coalescere sinet PATRES Patriæ nostræ. Id est, qvod optamus, precamur, & intimis suspiriis vovemus Omnes. A. Rostochii, Dom. XXIV. Trinit. Ann. M DCLXV.

V. V. V. CELSIT.
& EXCELLENTIARUM,
DEVOTISSIMUS
ἱκέτης.

JOH. QVISTORPIUS, D.

DE CHRISTIANISMO
GRÆCÆ,
ſeu
Orientalis Eccleſiæ.

Cap. I.
§. I.

C*Redimus Eccleſiam Catholicam ſeu Univerſalem*, cum Antonio Poſſevino, Nuncio Apoſtolico Papæ Gregorii, XIII. & τῷ εἰρηνοποιῷ inter Poloniæ Regem Stephanum & Moſci Ducem, in Reſponſo ſuo ad qvæſt. 1. & 15. *per Orbem terrarum, deſponſatam eſſe uni viro Jeſu Chriſto, cujus membra locorum licet intervallis ſint diſtincta, animorum & fidei nexu tamen manent unita.* Ad hanc probandam & expugnandam, Encyclicas epiſtolas commutarunt identidem Eccleſiæ noſtræ Evangelicæ Doctores, cum Græcæ Eccleſiæ Patriarchis. Qvos inter eo nomine laudem merentur, præter *Philippum Melanchtonem*, qvi Auguſtanam Confeſſionem Græcam, nomine Dolſci editam, Anno 1559, ad Joſaphatum Patriarcham Conſtantinopolitanum, per Demetrium Myſum Diaconum ſuum, totâ æſtate hoſpitem Wittebergenſem, miſit. *B. David Chytræus* noſter, & præprimis *Theologi Tübingenſes* ſeu *Würtenburgici*, qvi ſcripta varia cum Oecumenico Epiſcopo Conſtantinopolitano, D. Hieremiâ, de noſtrâ *Aug. Confeſſione*, inter ſe miſcuerunt, ab Anno 1576. adusqve annum 1581. Patriarchæ hujus ſigillum, reſponſis ſuis impreſſum, nigræ ceræ fuit, cum effigie S. Mariæ, qvæ in ſinu fovet puerum Jeſum. In præfatione horum Actorum, Theologi Tubingenſes editionis ſuæ cauſam allegant hanc: Stanislaum Socolovium, Theologum Regis Polonorum, hoc literarum commercium Noſtratium Theologorum cum Græcis, ſiniſtrè interpretatum fuiſſe apud Gregorium XIII. Papam; qvod, desertâ Eccleſiâ Romanâ, novum & Eccleſiæ incognitum doctrinæ genus amplexi, ad Græcos ſcil. confugientes, nos ab illis in S. Communionem recipi ſtudioſè petiiſſemus, ac ipſos Græcos, Judices communis cauſæ conſtituiſſemus. Johannes Baptiſta Fickler JCtus, & Ar-

chiepi-

chi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius, ut saltim Nostratibus ægrè faceret, responsa Patriarchæ Constantinopolitani, cum Socolovii pessimis notis, publicavit. Ast contrarium luculenter patet ex responso Th. Nostratium, ad Secundum Patriarchæ responsum, in calce qvæst. de Processione Spir. S. *Speramus fore, ut si hæc, quæ pro nostra mediocritate scripsimus, accuratè expenderitis, aliquando in sententiam nostram eatis.*

§. II. Porrò prætendunt Latini, Nos nostræ religiosæ novitatis pudere, tædioq; suffusos, (ut qvi cum nullâ Apostolicâ sede conjuncti simus, nec successionem Episcoporum demonstrare possimus, qviq; ἀκέφαλοι, membra sine capite simus,) de religionis negotio, & unione Sp. ineundâ, cum Græcis Christianis hoc commercium literarum instituisse. Sed huic bolo objicimus illud Patris antiqvissimi Tertulliani, lib. de præscriptionibus adversus Hæreticos. *Veram Apostolorum successionem, in doctrinæ cognitione consistere: Confingant,* inqvit, *tale quid Hæretici!* Sanè scopus totius instituti hujus colloqvii Theologici, à Nostratibus declaratur in fine Responsi, ad secundum Patriarchæ responsum, his verbis. *Cùm in multis doctrinæ articulis inter nos pius sit consensus, speramus fore, ut his nostris lectis & diligenter expensis, propius in veræ religionis consensu conveniamus. Quod faxit Deus!* Imo, qvia Pontificii calumniis religionem nostram suspectam Orientalibus Christianis reddiderant, qvasi religionem nullam curaremus, horrendos errores defenderemus, & sceleratè absqve ullo Dei timore viveremus, Theologi Würtenburgici, Augustanam Confessionem, tanqvam fidei nostræ publ. Symbolū & compendium, in Orientem, operâ & studio Crusii, Prof. Græc. L. Tübing. mittere voluerunt, ut intelligerent isti, nostræ Confessionis & fidei nos non pudere, nec de doctrina dubitare, neqve velle candelam hanc amplius sub modio abscondere.

§. III. Ab Hæreseos crimine facilè absolvimur, qvia omnes Fidei articulos amplectimur, Sacramentis etiam a Christo institutis reverenter utimur, honestati & piæ vitæ ut studeant Nostrates, seriò adhortamur, qvia etiam Symbolum Apostolicum, dextrè secundum literam intellectum, amplectimur; de qvo Patriarcha

triarcha Constantinopolitanus, in primo suo Responso hæc habet; *Vera & sola Christianorum divina fides, quæ rationem & mentem superat, bis sub compendio capitibus* XII. *continetur; qua, omnis qui rectè credit & salvari vult, confiteri debet.*

§. IV. Pontificii autem cùm ægrè ferant Communionem Ecclesiarum Evangelicarum in Occidente, cum Ecclesiis Patriarchalibus in Oriente, invectivis scriptis suis, dicam Nobis scripserunt, qvos inter eminet Leo Allatius, qvi Româ in Belgium usq;, Bartholdo Nihusio Apostatæ, ad probandum Romanos neqvaqvam à Græcis defecisse, misit volumen ingens, sub rubricâ, (qvæ nigro suo non respondet,) *Perpetua consensionis Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis*, Coloniæ Agrippinæ, Anno 1648. editum. Sed qvisqvis hos Leonis Allatii, 3. libros, penitus introspexerit, deprehendet facilè, jam diu satis, Orientales cum Occidentalibus Romanis, idem minimè sensisse, etiam sæpissimè frustrà de concordiâ ineundâ, inter eos tractatum fuisse. Autores allegatos plerosq; sublectæ fidei, undè hoc opus ingens compilatum, nondum editos fuisse, ipse in fronte libri fatetur. Et Leonis sympofiastes, *P. Arcudius* libris VII. de concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, editis jussu Pauli V. Lutetiæ Parisiorum; qvi tamen in proœmio, sibimet contrarius, dissensum utriusqve Ecclesiæ, his innuit verbis: *Hoc illud est, quod tentare aggredimur, si fortè Latina cum Græcis, sive Græca cum Latinis conciliare, conjungere & consociare poterimus.*

§. V. Etiam palpabili liturâ coërcuit hos fidei consortes, Romæ excusus *Johannes Baptista Casalius*, dissensum utrusqve Ecclesiæ, manifestis probans rebus, integris capp. 12. & 85. libri, *de Ritibus Christianorum veterum.* Idem Antonius Possevinus Jesuita, aliqvot capitibus, qvibus *Græci & Rutheni à Latinis in rebus fidei dissentiant,* probat, *postquam ab Ecclesiâ Catholicâ Græci desciverunt,* traditis in magno consessu procerum Johannis Basilii, Magni Moscoviæ Ducis, 3. Mart. Anno 1582. Qvibus errorum Græcorum refutationem ipse simul adjecit. Per hos Ergò, Nihusii & Allatii Goliatismus, & Ecclesiæ Pseudo-Catholicæ communio sacra, propriis jugulatur gladiis.

De
DISSENSU ECCLESIÆ GRÆCÆ, & LATINÆ seu PAPISTICÆ.

UT autem distinctè & clarissimè orbi Christiano patescat, fundamentalis dissensus Christianorum per Orientalem terræ partem & Pontificios, attendamus saltem ad propriam Papistarum confessionem. Anton. Possevinus in scriptis contra B. Chytræum, semper Græcam Ecclesiam *Schismaticam* appellat, & in responso suo ad Regium Virum Septentrionalem, de verâ Ecclesia, interrogatione 1. & 2. probat, *Schismaticos salvari non posse*. p. 316. Græcos planè damnat, in actis conventus Poloniæ Regis & Mosci Ducis Legatorum, p. 82. h. v. Aderat præterea Secretarius N. *Ruthena fidei, si fides dicenda sit, quæ à fide Catholica aliena est.* Jesuita hic, de rebus Moscoviticis, in initio, dissensum utriusq; Ecclesiæ, porrò his verbis clarè testatur: *Ante 500. annos, Duce Moscorum Volodimero, Christianam fidem Mosci à Schismaticis hæreticis acceperunt; eâ imbuti, ac proinde maximo se beneficio devinctos putantes, facilè crediderunt, quicquid de Latinis Græci obloquebantur. In eâ opinione alti & à teneris educati, Chronica corrupta legentes, nec habentes, qui istas ex eorum animis calumnias seriò possent abstergere, à Catholicis valde abhorruerunt.* Itaqvè cum ingens alicui malum imprecantur Græci, *Utinam te*, inqviunt, *Latina Fidei videam:* cumq; *imaginem* aliqvam piam ex iis, qvibus Catholici utuntur, â suis simplicioribus coli animadvertunt, *ne colas*, ajunt, *quia nostræ fidei non sunt*. Idem, Possevinus in responso ad interrogat. 8 Regi Septentrionali dato scribit. *Octingenti anni sunt, quibus Græci, ritibus & plurimis fidei articulis aberrantes, antiquos canones repudiarunt.* Item p. 40. *eos divortium fecisse ab Ecclesia Catholica, cujus conjunctio est indissolubilis à Christo capite.* Is ipsus Possevinus, Nuncius Apostolicus, qvandò capita varia, qvibus Græci & Rutheni à Latinis dissentiant, magno Duci Moscorum enarrat, ter in hæc verba erumpit. *Nisi tui isti Metropolitæ & Episcopi, in fide & sede sua à Petri Successore, DEI in terris vicario, Pontifice maximo, confirmentur, illi ap. DEUM non habebuntur pro Metropolitis & Episcopis legitimis, aut idoneis impertiendæ cælestis gra-*

lestiis gratia dispensatoribus: tuncq; populus tantum satis procul à recto Apostolicæ fidei tramite deflexit. Hæcce Possevini, luculenter testantur, Catholicam Pontificiam Ecclesiam exulare per Orientales Ecclesias.

§ II. Ab hac Legati Papæ Romæ Occidentalis sententiâ, nec secedit Joh Baptista Casalius, in suo scripto, de Veterum Christian. Ritib⁹ Romæ impresso, qvi cap 85. ex Baronio ad An. 869. & 1193. probat, fuisse Græcorũ Imperatorum & Patriarcharum recentium, summam in Romanam Ecclesiam & Latinos omnes invidiam. cap. 90. in fin. in hæc suspiria resolvitur. *Faxit Deus, ut Græci aliquando à falsa suasione resipiscant, & unam sanctam Catholicam & Apostolicam Rom Ecclesiam Matrem recognoscant.*

§. III. Ut autem res clarior fiat, allegabimus potissima Capita controversia Græcos inter & Pontificios.

1. Græci, jam ab incunabulis Novi Test. Latinis Christianis σύγχρονοι, superbiam & Tyrannidem Papæ Rom. detestantur, usqs adeo, ut Moscus, Possevino Legato Pontificis, in publico consessu eam exprobarit acerbius.

2. Græci, linguâ ignotâ prolatas preces & sacra, nulliũs æstimant.

3 Rosarii obmurmurationes, βαττολογίας esse ajunt.

4. Rom. Latinam Ecclesiã errare posse, pro persuaso habent.

5 Aqvâ lustrali peccata purgari, & diabolum profligari posse, rident.

6. Purgatorium non admittunt.

7 Scripturam S. continere omnia ad salutem scitu necessaria, contendunt; qvam tamen Papistæ pro partiali principio, in Theologicis agnoscunt.

8 Bonis Operibus, meritum salutis æternæ non adscribunt,

9. Pontificios Latinos. aliqvid diversi ab illorum placitis credentes, pro Hæreticis habent Ecclesiæ Græcæ.

§. IV. Propter has & alias satis palpabiles differentias, qvotannis, Dominicâ Invocavit, Græci Romanum Pontificem cum totâ Ecclesiâ, solenni ritu, unà cum aliis hæreticis excommunicant. Qvod factum ab Anno 1054. qvandò planè Orientales

Epiſcopum Romanum Conſtantinopolitano poſtpoſuerunt, & Latinos, ex Eccleſiis, qvas Bizantii habebant, ejecerunt. vid. Ep. Leonis IX. Anshelmi lib. de Spir. S. Siegberti Chronicon, & Antonini Hiſtor. lib 3. Tit. 22. c. 13.

§ V. Sed antegvam dicendi finem faciamus, attendite vos Papiſeqvæ, qvæ Martinus Cruſius in Turco Græciâ, l. 1. ſine fuco & fallacia, refert. Anno ſcil. 1418. ipſum Manuelem Imperatorem Conſtantinopolitanum, Chriſtianæ pietati deditiſſimum, nave conſcensâ, in Italiam perveniſſe, deqvè ſubſidio magnopere ſollicitaſſe; qvod qvidem Pontifex & cœteri Proceres promiſerunt, ſed non præſtitere. Cauſa qvæſita prætextui hæc erat, Manuelem die qvodam feſto, venerationem imaginis Crucifixi Chriſti, in dexterâ manu Chor-Epiſcopi intextæ recuſaſſe. Undè, Pontifex Italis omnibus ſcripſit: qvicunqve Imperatori Græco, qvi noluiſſet imaginem Chriſti adorare, auxilium ferret; cum à Sacrorum Communione ſine veniâ excluſum iri. Qvibus ille auditis, qvi magnâ ſpe paſtus fuerat, ab eis diſceſſit, Venetiasq; cucurrit; ſed nec ibi impetravit qvicqvam eorum, ob qvæ venerat, qvæ neceſſitate compulſus petiverat pientiſſimus Imperator. Ita ſcilicet unici commiſſi neglectus venerationis imaginis obtentu, in manica Chor-Epiſcopi intextæ, tot centena millia vivarum Dei imaginum, pro qvibus ipſe Chriſtus crucifixus eſt, â Romano Pontifice & aſſeclis ſunt neglecta, & abominandæ idolomaniæ Turcicæ proſtituta atqve expoſita. Siccine autem cum totiens Leonis Allatii jactatis Fidei Sociis, agier oportuiſſet!

CAP. III.

De

CONSENSU PONTIFICIORUM ET GRÆCORUM,

Quidq; verè ſtatuendum ſit de Synodo Florentinâ,

In qvâ,

Sancitam fuiſſe inter Ipſos & Græcos concordiam, aſſeverant.

§. I.

HUgo *Grotius*, in diſcuſſione Rivetiani Apologetici p. 10. ſcribit: *Latinos cum Græcis facile poſſe conciliari, oſtendunt partim*

Acta

Acta Synodi Florentinæ, partim quæ in Russiâ, Polonia & Lituaniâ reipsa conspiciuntur: videbis Sacramenta eadem, & dogmata convenientia.

§. II. Hæc Grotii, qvibus in passibus vera sint, recensere non subterfugimus. Habent enim Græci conformia Latinæ Vulgatæ versioni, Libros & Psalmos Biblicos. Mosci aqvam benedictam, qvam in festo trium Regum consecrant, undè Sacerdotes qvæstum faciunt ingentem. *Olearius* in itinerario suo putat, Moscos credere transsubstantiationem, panem scil & vinum reverà in corpus & sanguinem Christi commutari: ac per Baptismum, regenitos, à peccato Originali planè mundos redditos esse *B Chytræu.* breviarium alicujus Cypri sibi comparavit, ex qvo invocationem & honores Sanctorum, ac imprimis Mariæ virginis cultum superstitiosum, ibidem hoc tempore non minus qvam in Regno Pontificio vigere, animadvertit. Qvodq; pietatis summam, illic in cultu Mariæ Virginis & piarum imaginum collocent.

§. 3. Hi licet Articuli obscurent admodum domum Domini, per istas Græcas Ecclesias; non tamen reliqvas Eccl. Orientales simul seduxerunt, qvæ, qvod potissimum in negotio Religionis notandum, adhuc justificari coram Deo peccatores, non nisi per meritum Christi filii Dei & hominis, fide apprehensum, afferunt. Qvæq; scripturam S. pro unicâ regulâ credendorum & agendorum agnoscunt & habent. Cujus autem Interpretationem hauriri debere ex 7. Conciliis œcumenicis, ac priscis Græcis Patribus, aliqvanto pertinacius urgent.

§. 4. Dein semper in ore gerunt Pontificii *Synodum Florentinam*, per qvam sc: omnimoda Concordia fuerit sancita inter utramq; Ecclesiam Joh Bapt. Casalius cap. 85. de hac Synodo, hæc habet. *In Florentina Synodo*, circa ann. Domini 1439. *concordia fuit transacta & firmata inter Græcos & Latinos, à quâ tamen paulo post impudenter Græci desciverunt, regnante Constantino Dagmase, ubi operâ & scriptis Marci Ephesini Episcopi, omnia iterum perturbata sunt, nec Græci conventis stare voluerunt.* Antonius Possevinus, in suo primo colloqvio cum Magno Moscoviæ Duce, p. 32. qvandò ad consensum utriusq; Ecclesiæ, in concilio Florentino initum, provocarat, ipse

ipse fatetur, qvod Princeps ne qvidem responso talia dignari voluerit. Is porrò de rebus Moscoviticis agens, p. 7. scribit: Moscos, Livoniæ magnâ parte subactâ, Catholicos inde ad unum ejecisse, cultumq; Ruthenicum armis passim invexisse.

§. V. Qvod autem hucusq; frustra provocent Latini ad *Concil. Florentinum*, manifestum est, 1. qvia ab Ecclesiâ Græcâ illud nunqvam receptum fuit, nec verò recipi potuit id, qvod ab Eugenio Romano, jam ab officio detruso, in ipso Concilio Florentino, nullà authoritate Episcopali congregato, definitum fuit. 2. Concilium hoc, qvomodo in Ecclesiâ Græca vim aliqvam habere potuit, ad qvod comprobandum, Cæsar Orientalis Johannes Palæologus, per Turcas de sede suà expulsus, ac profugus in Italiam pro auxilio obtinendo â Pontificiis, vi qvasi adactus fuit? 3. Ex Oriente huic Concilio tres tantùm Episcopi, Nicenus, Ephesinus, & Russiæ interfuerunt, ex qvibus mox Ephesinus, indè discedens, per totam Græciam contrarium inculcare cæpit. Bessarion Nicenus & Isidorus Russiæ Episcopi, propter Cardinalatum ab Eugenio obtentum, saltem in sententiam Pontificiorum ibi iverunt. 4. Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Profugus cum Palæologo, intra paucos dies in eodem Conciliabulo mortuus est. Cæsar Bizantinus domum reversus, alicui Bessarioni Patriarchatum obtulit, qvem tamen Græci non agnoverunt, ac Josepho, ut 128. Patriarchæ Constantinopolitano, substituerunt Gennadium, Patriarcham 129. ut est in Chronol. temporum Hieronymi Bardii. 5. Sint licet pòst alii Latini â Papâ Rom. Patriarchæ Constantinopolitani creati, hoc tamen Patriarchatui obesse nullo modo potuit, qvia ista tota Ecclesia nunqvam Florentinum Concilium recepit. 6. Absurdum est, solum Patriarcham, non instructum consensu omnium Episcoporum Græcorum & Arminianorum, de negocio religionis conclusivè & canonicè agere potuisse. Unde male Pontifex Rom. à consensu solius Josephi Patriarchæ, argumentatur ad consensum totiùs Ecclesiæ in Oriente. 7. Nec Eugenius, qvi à Papatu ex justis causis depositus fuerat, Concilium aliqvod congregare potuit amplius, nec confirmare. Demum 8. ipsum hoc Florentinum Concilium Anno 1438, inchoatum

tum

tum & finitum, paulo post per Basiliense Concilium, qvod usqvè ad Annum 1442. duravit, refutatum est, & omnia gesta per Concilium Florentinum revocata sunt, ut ex ejusdem Actis apparet. Deniqvè ex sess. ult. Concil. Florentini constat, Græcos in hoc Concilio expressè protestatos esse, se à suâ Ecclesiâ Orientali nullam habere commissionem, circa articulum Papatus. Cum enim absolutâ tractatione, de processione Spiritus S. Papa proponeret qvæstiones adhuc alias qvatuor definiendas, ut Unio perfectior fieret, *de Purgatorio, de summo Pontificis Principatu, de Azymo & fermentato, & de Transsubstantiatione.* Responderunt Græci, Nos, Pater Sanctissime, nullam ad hæc respondendi facultatem habemus. &c. Qvæ sanè omnia irritum faciunt, qvicqvid Pontificii pro consensu utriusq; Ecclesiæ obtinendo, ex hoc Concilio allegare crebrò solent.

CAP. IV.
De
DISSENSU ORTHODOXORUM seu NOSTRATIUM,
Cum GRÆCIS Christianis.

§. I.

NOs inter & Græcos, princeps dissensus manet in artic. *de Processione Spir. S.* Qvæ autem hic sit Græcorum sententia, Patriarcha Constantinop. in primo suo Responso cap. 1. ad Theol. Tübing. his exponit verbis. Excipimus qvod Nicæna Synodus & cœteræ, qvæ huic consonant, statuant, Spiritum S. à Patre procedere: Hoc enim Symbolon initiò à 318. Patribus editum, posteà à 150. Constant. Patribus perfectum, atqve à cœteris, 5. Oecumenicis Synodis obsignatum, hæc verba habere: Et in Spir. S. Dominum & vivificum, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, sine Filii Dei mentione. In secundo suo Responso, distinguit inter *Processionem*, (qvæ est naturalis essentia Spir. S. immediatè ex solo Autore Patre,) & *Missionem*, qvæ notat legationem temporariam; fontem siqvidem Trinitatis Patrem esse, qvi generat Filium, & producit Spiritum S.

§. II. Nos a. ad hæcce respondemus, Synodum Nicenam primam, de Processione Spir. S ideò tacere, qvia adhuc nullus hîc Ecclesiæ istâ litem moverat: qvare & Socrates Hist. Eccles. l 1 c. 5. verbotenus Nicenum Symbolum recitans, nullam plane Processionis Spir. S. mentionem facit. Interim nitimur Nos hoc in articulo, testimonio verbi Dei, dein ὁμοȣσίας Trinitatis; undè qvicqvid Patris est, etiam erit Filii, præter τὸ gignere; sed Patris est, producere Sp S. E. & Filii, nisi duos Sp. S. fingere velimus Imò seqveretur hinc illud hæreticum, aliam esse Patris substantiam, ex qvâ Spir. S. procedat, & aliam Filii, â Patris Substantiâ distinctam, ex qvâ Spir S. non procedat: Cum in Trinitate ἄλλος καὶ ἄλλος detur, non ἄλλο καὶ ἄλλο.

§ III. Porrò Symbolum sic dictũ Athanasii, ab Ecclesia Græcâ receptum, dicit Spiritũ S. ex Patre & Filio esse, non factum, non creatum, non genitum, ἀλλ' ἐκπορευόμενον; Item, Epiphanius in Anchorato sermone, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς καὶ υἱȣ πνέει, inqvit. Imò Græci non demum in Florentino Concilio, sed jam antè, in Concilio Lugdunensi, temporibus Gregorii X. Papæ, Imperatoris sui & Orientalis Ecclesiæ nomine, professi sunt, Spiritum S. æternaliter â Patre & Filio, non tanqvam duobus Principiis, sed velut ex uno Principio seu unâ spiratione, procedere, h. v. *Filioque*. Græci videntur hac sententiâ suâ Arrianis, contra Nicenam 1. Synodum Bitiniæ argumenta suppeditare, ad Dei Filii ὁμοȣσίαν infringendam. Apud Theodor. p 371. in Epist. Athanas. & Episcoporum Orientalium, probatur, doctrinam de Sp. S. verâ divinitate, jam â mundi exordio obtinuisse.

§ IV. Græci interim Spiritum S. (qvod notandum) pro vero, aliisq; Personis Divinitatis, coessentiali Deo habent, etsi non Procedat, juxta illos æqve â Filio, ac â Patre, uti ex responso Theologorum Tûbingensium, ad secundum Patriarchæ responsum, liqvet. *Gaudemus*, scribunt, *quod inter Nos & Sanctitatẽ vestram, non sit de Sp. S. æternâ Deitate, aut de distinctione Trium Personarũ dissensio; sed tm de Processione: Et intelligimus Vos nihil detractum esse velle Filio Dei de suâ Majestate & divinitate, etiamsi Spiritum S. â solo Patre procedere affirmetis.*

Optaremus

Optaremus autem ut hoc diuturnum inter Latinos & Græcos dissidium, salvâ veritatis doctrina, tandem componi posset. Interim Cornelius à Lapide, Comment. suo, c. 1. Ecclesiastici p. 53. usqve adeò exaggerat hunc errorem Græcorum de processione Sp. Sancti, ut propterea in ipso Spir. S. Festo *Pentecoste*, regnante Cæsare Constantino Pogonato, Constantinopolin captam, & imperium Græcorum Anno 1453. eversum fuisse putet.

§. V. Sed hic nobis Syncretistæ nostri dubium movebunt, Ecclesias istas Græcas, propterea qvod libros Symbolicos Ecclesiarum Lutheranarum non receperint, pro fidei nostræ Sociis nullo modo censeri posse. Qvibus respondemus, Libros nostros Cathecheticos atqve Symbolicos receptos qvoqvè esse ab Asiaticis & Africanis Christicolis, (qvi Symbolum Apostolicum literaliter, juxta Dei Verbum, in sensu Conciliorum Oecumenicorum, ac priscæ purioris Ecclesiæ intellectum, volunt) κατὰ τὸ πρᾶγμα καὶ διάνοιαν; nec opus esse, ut isti omnes & singuli αὐτολεξεὶ, remotissimis his Cœtibus, qvibus vix innotuere Christianorum per Germaniam Controversiæ, obtrudantur. Prout Sveci, Dani, Holsati & Noribergenses, qvi nec dum expresse Form. Concordiæ receperunt, tamen de Ecclesia γνησίως Lutheranâ esse censentur; ita & rectè sentientes Christiani Orientales, partium opinionibus necdum inescati, ac Symbolicorum nostrorum scriptorum nescii, nihilominus unius Civitatis DEI nobiscum possent esse Cives; cætera si saltem essent paria. Isti enim sic dicti libri Symbolici & Cathecheses, exhibent non nisi sanam Biblicam interpretationem, analogiæ fidei Catholicæ conformem, contra Νεοφύτους nostros Qvarè inter Nostrates nullus est usqvè adeò stolidus, cum Donatistis ut dicat, Ecclesiam Christi in toto terrarum orbe interiisse, ac in parte Lutheranâ solâ, qvæ libros Symb. allegat, supermansisse.

CAP. V.

DE CONSENSU IN RELIGIONE, AUGUSTANÆ CONF. ADDICTORUM,

Cum Christianis Orientalibus GRÆCIS.

§ I. Jacobus Andreæ, Theologus & Cancellarius Acad. Tübingensis, cum Martino Crusio, Græco Præceptore, 20. Martii,

Anno 1575. in Epiſtol. ad Oecumenicum Patriarcham, D. Hieremiam ArchiEpiſcopum Conſtantinopoleos Novæ Romæ, hæc habet: *Auguſtanam Confeſſionem (quam à multis jam hactenus annis, non pauca martyrum millia ſuo ſanguine comprobarunt,) Tuæ ſanctitati miſimus, ſperantes, differentiam inter Nos aliquorum Rituum eſſe: omnino in præcipuis ſaltem ſalutis conſequendæ capitibus nos nihil novare, ſed illa quæ à ſanctis Apoſtolis & Prophetis, Spiritum S. habentibus Patribus ac Patriarchis, & ſuper divinas literas ædificatis 7. Synodis tradita eſt, fidem, (quantum quidem nos intelligimus) amplecti & conſervare.* Notandum autem Theologos Tübingenſes non ſimpliciter omnes VII. Synodos amplecti, ſed qvatenus cum S. Scripturâ Canonica conſentiunt. maximè autem propter fidem & Symbola IV. primorum Conciliorum, qvæ in Synodis ſubſeqventibus ſunt repetita ſeu recepta.

§. II. Ipſe qvoqvè Patriarcha, in initio ſecundi ſui Reſponſi, fatetur. *Deo gratias agimus & lætamur, quod in multis veſtra doctrina cum noſtra conſonet Eccleſiâ.* Idem in primi ſui Reſponſi, cap. 1. ſcribit: *Primum caput veſtrum, quo decretum S. Synodi Nicenæ allegatum, videl. de Unitate eſſentiæ divinæ, in Tribus Perſonis conſiſtente, rectè ſe habere, & pie à vobis aſſeri affirmamus.*

§. III. Deniqvè, ut qvodammodò proprio gladio juguletur Allatius, capiat ſibi, qvæ Romæ Joh. Baptiſta Caſalius cap 85. p. 446. ſcribit: Hæc (ſcil. Græca Eccleſia) habet plurima juniorum hæreticorum dogmata, nempe de Sacrificio tantùm in fermentato, non azymo faciendo, de Purgatorio, de fruitione Sanctorum, de Petri primatu in Eccleſia Romanâ, ut propterea nihil ferè inter Græcum Schiſmaticū, & hæreticos Latinæ Eccleſiæ hoſtes intereſſe videatur. Huc ſimul faciunt illa Claudii Salmaſii, de igne Purgatorio, libro uno Archi-Epiſcopi Theſſalonicenſis Nili, cui addidit excerpta, ex actis generalis octavæ Synodi, qvæ Ferrariæ incepta Anno 1458, peracta Florentiæ, tempore Eugenii Papæ: *Ac quia Græci purgatorii figmentum non admittunt, ideò nec illa ſtatuunt, quæ Purgatorii ignem ſolent ſuccendere, ſcil. indulgentias & bonorum operum merita: Græci enim bonis operibus tantam efficaciam non adſcribunt, ſed è contra Proteſtantibus aſſentiuntur, dicentibus, omnibus creaturis impoſſi-*

bile

bile esse, secundum ἀκριβολογίαν, vel quicquam de vita æterna promereri. Omnem autem mercedem & præmium, à benignitate & misericordiâ Creatoris fluere, recensente relatione, de Religione Euvini S. Angli. Imò qvod omnium maximum est, D. Petr. Arcudius Presb. in Epist. dedicatoriâ, consensum Græcæ & Calvinianæ Ecclesiæ, ipse ire inficias neqvit: Hæretici, inqvit, Cyrillum Pseudo-Patriarcham Alexandrinum Calvinianæ furiæ alumnum, soluta Turcarum Imperatori pecuniâ Græcis Constantinopolitanis, qvasi alterum Antipapam obtruserunt. Is qvamvis genere, nomine, habituq; sit Græcus, alterius tamen gentis nefaria dogmata toto pectore hausit, qvæ deinde Græcis, in ipsorum provinciis, & simplicioribus Ruthenis, abjectâ simulatione, palàm propinavit.

§. IV. Sed in specie recenseamus Articulos ex Patriarchæ propriâ confessione haustos, in qvibus Græcis consentiamus. Enumerantur autem isti in Tübingensium responso ad primum Patriarchæ responsum p. 148. & accommodantur propè omnibus articulis AugustanæConfessionis, his verbis. Græci (1) credunt unum esseDeum essentiâ, eundem Trinum in Personis, ac tres illas Personas esse coæternas. (2) Amplectendum esse Symbolum Apostolicum, tanqvam Compendium absolutissimum Christianæ Religionis. (3) Deum non esse Autorem peccati, sed Diabolum & voluntatem hominis. (4) Christum satis fecisse pro omnibus peccatis, non modò pro Originali, sed etiam Actualibus. (5) Pœnitentiam agentes, conseqvi remissionem omnium peccatorum. (6) Bona opera esse qvam diligentissimè facienda. (7) Ministerium Ecclesiasticum, (qvod illi Sacerdotium appellant) esse ad ædificationem Ecclesiæ necessarium. (8) Ministros Ecclesiæ propter officium cui præsunt, esse in honore habendos: Etiamsi in illorum vita sit aliqvid infirmitatis humanæ, si autem falsa doceant, non audiendos. (9) Non pendere virtutem & efficaciam Sacramentorũ ex dignitate vel probitate Ministri, modò nõ erret in doctrinâ. (10) Ministrorum Ecclesiæ officium non esse, sententias in Politicis & Capitalibus pronunciare, aut bella gerere (11) Ministris Ecclesiæ, non omninò & simpliciter matrimonio interdicendum. (12) Nemini concedendum, ut sine legitimâ vocatione sibi sumat officium

in Ecclesiâ docendi aut administrandi Sacramenta. (13) In casu tamen necessitatis, Laicos rectè etiam baptizare posse. (14) Baptismum esse lavacrum, per qvod regeneremur. (15) Baptizandos esse infantes, nec adultiorem ætatem exspectandam. (16) Communionem sive Cœnam Domini coadunare nos Domino, qvippe in qvâ carnem & sanguinem ejus verè participemus. (17) Cœnâ Domini sub Utraq; specie utendum. (18) Missas Rom. Ecclesiæ privatas, ad qvæstum celebratas, esse rejiciendas. Demùm (19) Eorum sententiam damnandam, qvi opinantur finem aliqvandò pœnarum fore, qvæ impiis sunt decretæ: piorum enim præmia & impiorum supplicia fore post hanc vitam æterna.

In his, Dei beneficio, partibus Religionis, est inter Nos indubius consensus, qvæ ex abundanti fidem nostram sic satis corroborant, cum eadem propè doctrina, qvæ in nostris resonat plateis, per longè dissitas *Asiæ* & *Africæ* terræ partes sit disseminata. Et hæc est natura Regni Christi seu Ecclesiæ Catholicæ. Hæretica Ecclesia semper est particularis, nunqvam Orthodoxa..

CAP. VI.

De

VARIIS RELIGIONIS GRÆCÆ CAPITIBUS, IN SPECIE.

Quidq; iis pretiosum, seu vile adhæreat.

I. DE JEJUNIO.

GRæci qvater in Anno jejunant, & qvater in Anno Sacramento Eucharistiæ communicant. Mosci præter hebdomadarium Jejunium, diebus ☿ & ♀, observant etiam Magnum jejunium, qvod se ab Esto mihi, ad Pascha extendit; durante hoc Jejunio, nemo sive Clericus sive Laicus, consuetudine conjugali uti potest, sub maximâ pœnâ. Anton. Possevinus in suis Moscoviticis p. 41, ad Jejunium qvadragesimale monet, id fieri ad Christi imitationem; qvi tamen Matth. 4. omni cibo abstinuisse legitur, non certo, ut fit à Græcis & Latinis, qvi nomine potius, qvam re abstinentiæ, se aliosq; decipiunt & fallunt.

II. DE PRECIBUS GRÆCORUM.

Sæpissimè certis diei ac noctis horis canunt, & orationes exhibent

hibent Deo. Causas harum horarum Canonicarum ex Crusio excerptas, leges apud Dn Felavium, in notis ad Christoph. Angelum, p 138. idqve potissimum ab iis fit, ut habeant semper in memoriâ Christum exinanitum & exaltatū. Per integram Moscoviam, statim ac domum alicujus intrant, faciem obvertunt imagini, sive sit crucifixi Christi, vel alicujus Sancti, & orant: *Sanctus es Deus, propter Dei Filium Jesum Christum, ἐλέησον ἡμᾶς.* Etiá manu dextrá signo crucis se signant, frontem prius, dein pectus, mox dextram ac demum sinistram pectoris partem punctim in crucis formam tangunt, qvod si qvis aliter manum ducat, eum pro domestico fidei non habent.

III. DE INVOCATIONE SANCTORUM, & RELIQVIIS.

Græci credunt, Sanctos invocandos esse, & in specie Mariam virginem, qvia auxilium miseris mortalibus ferre poterunt. Invocant autem eos non ut Conservatores aut Redemtores, qvi est Christus solùm, sed saltem pro mediatoribus eos agnoscunt. *Dum enim sacras ipsorum imagines adoramus, & Reliquias salutamus, undè sancti sunt, qui fide accedunt, animo & corpore illustramur,* ait Patriarcha in Responso suo 3. QvodGræci, a. Pontificiorum Sanctos respuant, fatetur Anton Possev. de rebus Moscov. p. 22. In itinere nempè retrogrado cum Legatis Mosci ad Papam: Arimini in domo præfecti Civitatis, Moscos pias imagines ibi repertas amovisse, & parvulas qvasdam suas, ritu Ruthenico depictas, vicissim apposuisse. Is ipsus Possevinus scribit p. 4. sanctorum Latinorum Patrum nomina, ne qvidem in Moscoviam pervenisse, cum ea, præter D. Ambrosii nomen, in Calendariis eorum non sint inscripta Et p. 11. Rutheni imagines nostras non venerantur: ast juxta eundem p. 5. *D. Nicolaum Myrea Episcopum*, magnopere commendant.

IV. DE AURICULARI CONFESSIONE.

Historia Tripartit. lib. 9. cap. 35. item de Pœnitent. Distinct. 5. can. 1. in Decretis, hæc habent. *In Confessione auriculari hodiernâ, Orientalis Ecclesia à seipsa suisq; majoribus dissidet, à quibus illa, propter stupratam quandam nobilissimam matronam in Confessione à Diacono, est abrogata.* Glossa: Ergò necessaria est Confessio in mortalibus apud Nos, apud Græcos non, qvia non emanavit apud illos

talis

talis traditio. Olearius notat, in Moſcoviâ, Confeſſionem ante S. Cœnæ uſum, ad converſionem & reconciliationem cum DEO, cenſeri neceſſariam. De cujus Ceremoniis vid. Dn. Felavium loco cit. p. 144. in notis.

V. DE POENITENTIA.

Dicunt pœnitentiam conſtare ex Converſione, Confeſſione peccatorum, & à malis diſceſſu, hucq; vitam Monaſticam referunt; rectius autem feciſſent, ſi Fidem de remiſſione peccatorum propter Chriſtum, pro præcipua veræ pœnitentiæ parte agnoviſſent. Interim tamen hic per Pœnitentiam eorum intelligimus, non niſi ceremoniam, qvâ delinqventes, Eccleſiæ publicè reconciliantur. Et qvis ſanus Confeſſionem homini factam, eſſentialem pœnitentiæ veræ partem eſſe fatebitur? Diſceſſio â malo, eſt fructus pœnitentiæ, juxta Johannem, Matth. 3. facite fructus pœnitentiæ. Nec continet Pœnitentia vitam Monaſticam, ſic enim omnes Chriſtiani neceſſe qvoqve haberent ordinem adire Monaſticum.

VI. DE SACRAMENTIS.

Patriarcha Conſtantinop. in ſui reſponſi 1. cap. 7 agnoſcit VII. Sacramenta, propter. 7. Spiritus dona, apud Eſaiam allegata, nempe *Baptiſma, Chriſma, Sacram Communionem, Manus impoſitionem, Matrimonium, Pœnitentiam & ſacrum Oleum.* An verò & in Orientali Eccleſia, eadem 7. Sacramenta ſacroſancta & incorrupta permaneant, viri graviſſimi, ſacriq; Theologi non usqve adeò cognitum, atqve compertum habent, monet Pontificius Arcudius Corcyræus, in proœmio operis ſui.

VII. DE BAPTISMO.

In Oriente, trinâ totius corporis immerſione Baptiſma adminiſtratur; nos autem rem indifferentem eſſe credimus, hominem vel ter in aqvam mergere, vel ter aqvâ perfundere, qvia τὸ βαπτίζειν etiam aſperſionem ſignificat. Undè & eorum Clinici, ſolùm aſpergendo pro verè Baptizatis reputantur. Suſceptores, qvi qvoties circa Baptiſmum, præeunte Sacerdote, Diabolo renunciant, toties in terram exſpuunt. Neugeburius cap. 12. Ipſi porrò interrogati: An in orthodoxâ Græcâ Religione per totum vitæ

tempus

tempus perdurare velint? respondent, loco infantis: *Ita.* Baptisteria habent ante templi fores, uti in Papatu. Baptizato *Crux* fabrefacta, de collo mox suspenditur, qvam ad mortem usqve studiosissimè reservare cogitur, si Christianâ sepulturâ demùm sepeliri volet.

VIII. DE CHRISMATE.

Dicit Patriarcha: *Chrismate inungimur, ut Chrismatis regii, seu Deificationis fiamus participes.* Sed verbum Dei nihil de isto Chrismate docet, undè & multò minus Chrismati tales virtutes tribuit. Et qvia Græci negant esse plus qvàm unam Chrismatis unctionem, eamqve Sacramento Confirmationis non adhibendam, scribit Antonius Possev. in cap. ubi Græci à Latinis dissentiunt, hunc errorem manifestissimum esse, contra verbum Dei, & S. Clementem.

IX. DE SACRA COENA.

Communionem *sub utraq;* nobiscum adhibent, ad unum omnes Christiani per Asiam & Africam, testante Brerewodio, in scrutinio Religionum. Corpus & sanguinem Christi in Eucharistiâ, sub pane & vino præsentia esse credunt. Pane utuntur fermentato; sed fermentum, sive adsit sive absit, non facit ut panis sit, alioqvin Israelitæ toto festo Paschatis, panem nullum comedissent, manet enim substantia rei; qvem modum Græcorum iis relinqvit integrum Synodus Florentina, & Joh. Baptista Casalius, c. 88 Olearius in itinere Moscovitico ait: eos Eucharistiam adornare è pane, qvem è rotundo in die Viridium in hunc finem, pisto pane, in forma Crucis exciderunt & consecrarunt. Dein eum frangunt, ac frustulatim injiciunt in benedictum rubrum vinum Astrachanicum, atqve ita hæc Sacra, Communicantibus, cochleari accipienda porrigunt. Porrò, vinum aqvâ miscent, Scripturâ tacente, qvæ vinum dilutum inter rejectanea censere solet. Es 1.22. Vinum tuum mixtum est aqvâ. Hæc qvoqvè aqva infusa calida est, ad Spir S. denotandum, qvi etiam aqva dicitur, & tanqvam ignis apparuit: utqvè putent Communicantes, hunc potum velut ex virente adhuc divino latere profluere tepidum. Ergò & hic

demùm latus apertú fit: eodem ſanè jure, aqvam qvoq; Baptiſmi calidam adhibere deberent. Sunt qvidem rationes hæ Græcorum piæ, ſed tortæ admodùm. Neqve probare poſſunt iſti, qvarè Infantibus, ſe ipſos probare neſciis, S. Cœnam porrigant.

X. DE PURGATORIO.

Chriſtophorus Angelus Græcus, cap. 26. Nullum Græci ſtatuunt eſſe Purgatorium, & unicuiq; vitâ functo, ſecundum meritum ſuum locum eſſe. Idem habet Neugeb. in Moſcoviticis. p. 84. Chytræus de ſtatu Eccleſ. p. 23. ſcribit: Græcos tria loca deſcendentium ex hac vitâ diſcernere, & tamen tertium locum ignem purgatorium non appellare: vid not. Fhelav. ad Angelum pag. 169. ubi hæc verba citat: Tria loca, deſcendentium ex hac vitâ, diſcernunt: Eorum enim qvi piè vixerunt, & in Domino mortui ſunt, animas beatas rectâ in cœlum transferri; impiorum verò, qvi ſine pœnitentiâ obierunt, rectâ ad inferos detrudi, docent: Eos autem, qvi in fine vitæ primùm ad Deum converſi ſunt, alio in loco, mediâ conditione, inter beatos & damnatos collocant: undè eos eleemoſynis & precationibus vivorum liberari ſentiunt: tamen hunc locum IGNEM Purgatorium non appellant. In ſcrutinio Religionum, Edvardus Brerewodus Anglus, cap. 6. probat, negare ſectam Græcorum, ſanctorum animas ante diem judicii beneficâ Dei viſione frui, aut impiorum in inferno torqveri. Sed qvid opus eſt allegare alios, qvia habemus propriam confeſſionem Viri Græci, Nili Archi-Epiſc. Theſſalonicenſis, ex interpretatione Cl. Salmaſii, de Purgatorio igne, qvæ talis. *Ignem purgatorium, & punitionem per ignem temporarium, finemq; omninò habiturum, nos à noſtris Doctoribus traditum non accepimus, neque Orientalem Eccleſiam ita ſentire ſcimus.* Et paulò poſt. *Nos hoc modo, animas per hunc transmiſſas; ad vitam æternam pervenire, nequaquam ſtatuimus. Et fieri poteſt, ut pl. hinc in Origenis errorem prolabantur, æterniq; ſupplicij memoriam animis ſuis excutiant, finem pœnæ ſtatuentes.* Item, *quod teſtimonia Biblica, purgatorium ignem non inferant, ſole clarius eſt. Quid enim commune eſt remiſſioni, cum purgatione? aut enim punitione, aut remiſſione eſt opus, & non ſimul utroq;.* &c.

XI.

XI. DE MONACHIS.

Autor les Estats & Empires & Principautez du monde, De Monachis Græcæ Ecclesiæ refert hæc: Calagyri dicti, in monte Athos habitant, & omnes nunqvam vivunt otiosi, sed singuli aliqvã artem mechanicam exercent. Iter per hæc montana facientes, gratis ab iis victum accipiunt. De Moscis refert, qvod Religiosi omnes sint ordinis S. Basilii, qvidam ordinis Benedicti: De his Olearius p. 187. Monachi in monasteriis strictissimam vitæ rationem observant, jejunando, orando, canendo. Extra monasterium autem eqvitant, laborant, & mercaturam more Secularium exercent.

XII. DE GRÆCORUM CLERICORUM CONJUGIO.

Distinct. 31. can. 12. legimus: Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus S. Rom. Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, aut Subdiaconi matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum, à Subdiacono usqvè ad Episcopum licentiam habet, conjugium sortiendi. Certum autem est, Episcopos qvi ap. Græcos interdum ex Hieromonachis deliguntur, esse perpetuò cælibes. Anton. Possev. p. 44. fœdissimum esse errorem scribit, cùm demortuâ Sacerdotis uxore, creditur Sacerdos non amplius esse Sacerdos, nam Sacerdotium à Christi instituto, non ab uxore pendet.

XIII. DE RASURA CRINIUM CLERICORUM.

Placuit Deo, ut studium immodicum nutriendæ comæ deponant Sacerdotes, Ezech. 44. 20. Qvod & Clerici in initio Nov. Test. studiosè observarunt. Accessit tandem superstitio, ut existimarent, Clericum *nec comam nec barbam nutrire* debere, juxta Synodi Carthaginens. IV. cap. 44. Et Gregorii Magni statutum, qvi Anathema denunciavit Clerico, comam laxanti, Distinct. 23. Si qvis &c. Et qvid hi dicent, ad locum Levit. 21, 5. *Sacerdotes hi radant caput, nec barbam?* Clerici autem omnes Græcæ Ec-

CAP. VII.
DE JUDICE CONTROVERSIARUM APUD GRÆCOS,
& Capite Ecclesiæ Visibili.
§. I.

Aërem vibramus, nec diversum in religione sentientes, ad mutuam in eundã *Confessentionem* (ut Tertull: voce utar) persvadebimus, nisi prius concordes erimus in qvæstione de *Judice controversiarum*. Ex diversis n. principiis disputantes, certant in infinitũ sine victoriâ. Ecclesia Græca & Africana, nunqvam Rom: Ecclesiam ut Dominam agnovit, nisi fortè circa An. Domini 1202. Cum Franci, Duce Balduino, Venetis auxiliaribus, Constantinopolin trajecissent, (ut Alexicum in Imperio restituerent, eâqve conditione, teste Platinâ, in Innocentio III. Ecclesiam Græcam Romanæ subjicerẽt) Alexio restituto, & Imperium Orientale, exceptâ Hadrianopoli, occupassent. Qvamdiu autem hic Balduinus & reliqvi Franci Imperatores, per annos sc. 58. Orientem tenuerunt, usqve ad Michaelem Palæologum, (qvi Francis expulsis, pristinum imperii statum obtinuit) Occidentales, Græcis Orientalibus in Ecclesiasticis ac Civilibus causis, Leges præscripserunt, undè & in libris Gregorii IX. multæ Decretales ad Archi-Episcopum Constantinopol. emanarunt eo tempore, qvo adhuc hi Galli ibi sceptra imperii tenuerunt. Ideò in hunc usq; diem Papa Romæ Italicæ, Patriarchas Orientales titulares creare solet. Plura huc facientia leguntur ap: Carolum Molinæum in Senatus Consulto Franciæ, contra abusus Paparum p. 236. Brerevodius in scrutin: Religionum c. 6. ex Possev. & Sigeberti Chronico ostendit, Græcos primatum Episcopi Rom. non agnoscere amplius, Ecclesiam eos Latinam pro Schismaticâ per hos 500. annos habere & â Communione excludere.

§. II. Ant. Possevinus recensendo capita, qvibus Græci & Rutheni â Latinis dissentiant, ægre fert, qvod isti in Constantinopol. Synodo 1. can. 5 Episcopum Constantinop. tribus Orientis Patriarchis anteposuerint, & secundum â Romano Pontifice fecerint. Imò multò minus ferre possunt Papistæ, Synodi Oecumenicæ Chalcedo-

Chalcedonensis actionem 16. qvæ Constantinopolitanum Episcopo Rom. parem facit. (ita ipsi Papistæ non sunt perpetui adstipulatores qvatuor Conciliorum Oecumenicorum.) Etiam à seculo septimo, Christiani Orientales Patriarcham Constantinopolitanum *Oecumenicum* in hunc usqve diem salutarunt. Joh. Baptist. Casalius c: 85. scribit, post mortem Meliciæ, Episcopi Antiocheni, demùm ortam fuisse controversiam, Eccles. nim. Orientalem præferri debere Occidentali, eò qvod Christus in eâ natus esset.

§. III. Sexta & 7. Synodi Oecumenicæ, anathemati subjiciunt rejicientes Sanctorum Patrum, non solùm Græcorum, verùm etiam Latinorum sententias, pro dogmatibus Dei Ecclesiæ constituendis, promulgatas, *Athanasii, Hilarii, Basilii, Cyrilli, Augustini, Theophili, Johannis Constantinop. Leonis Papæ, Procli, Amphilochii, Magni Anastasii, & similium.* Possev. p. 22. Difficulter autem probabunt Græci & Latini, perpetuum priscorũ Patrum & Conciliorum consensum in interpretatione Biblicâ, ac negotio religionis. Saltem prima qvatuor Oecumenica Concilia agunt de Christi Persona, & Spiritu sancto; in reliqvis propè omnibus Synodis, non nisi Canones de Ceremoniis qvibusdam, ac disciplinâ Ecclesiastica formabantur. Ipsi Commentatores Biblici Pontificii, diversas & sibi invicem contradicentes ubivis Patrum lectiones & glossas allegant. Vanũ ergò est ad certum & perpetuũ Judicem Controversiarum provocare, qvem non habent. D. Hieremias in primo suo responso, statim ab initio scribit: *Sanctas septem Oecumenicas Synodos, & sanctos Doctores, esse interpretes divinitus inspiratæ scripturæ.* In fine hujus responsi ad Theologos Tübingenses, pergit: *Non enim nobis licet nostræ propriæ confidendo explicationi, aliquod divinæ scripturæ dictum aliter intelligere, aut interpretari, nisi quemadmodum Theologis istis visum est, qui à Sanctis Synodis, in Sancto Spiritu ad pium scopum, probati receptiq; sunt. Qui hunc limitem terminumq; rectè servat, συγχωρευτὴς ἡμῶν ἐστὶ, socius & fidei consors est. Recipiemus vos, si volueritis decreta Apostolica & Synodica unanimi consensu nobiscum sequi, & his cedere, idq; ideò, quia in canone 19. Synodi 6. Oecumenicæ jubemur*

cundi Responsi. In tertio demùm responso, Patriarcha causam, qvare noluerit amplius disputare cum Nostratibus, allegat hanc. *Omnino tacere propositum nobis est, quia adeò apertè tùm scripturam, tum dictorum sanctorum interpretationes, ad vestram voluntatem transfertis.*

§ IV. Sed ad hanc objectionem respondetur, in responso ad secundum Patriarchæ responsum: *Judex in Theologicis sola est Scriptura. Patrum scripta & Synodorum decreta non possunt eandem obtinere authoritatem; Etsi enim in tribus Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano nihil prorsus in dubium vocandum judicamus, tamen in cœteris quibusdam Synodis, nonnulla reperiri existimamus, quæ cum sacris literis non omni ex parte congruunt, etsi grato animo Patrum lucubrationibus utimur, tamen, cum illi ipsi prohibuerint, ne se homines ad suas interpretationes alligarent, non debet nobis fraudi esse, si interdum ipsorum explicationes non per omnia sequi possimus. Nec fides nostra ullâ interpretatione, nisi ea ex perpetuo scripturæ consensu demonstretur, tutò inniti potest.*

§. V. Absolvam hoc princeps caput, ubi adhuc ex Nilo Archi-Episcopo Thessal: scriptore sic satis recente, qvædam allegavero; qvi libro primo & secundo demonstrat, non aliam dissidii Ecclesiarum Latinarũ & Græcanicarum causam esse, qvàm qvod Papa, ejus, qvod controversum est, cognitionem ac judicium, ad œcumenicam Synodum deferre detrectet, & ipse solus controversiæ magister ac judex sedere velit, reliqvos verò dicto audientes habere, illudqve ab Apostolorum & Patrum legibus & actionibus esse alienum. Ubi inter alia & hæc habet: *In communis fidei causâ, communis quoq; omnium sententia quæritur. Julius Papa erat, & Damasus, & Celestinus, & Leo & Agathon, semper a. una cum aliis fratribus convenientes, adjuvante bono Sp: & dogmata stabiliebant, & pacem Ecclesiis conciliabant. At si Papa tribunal bis decernendis sufficit, superfluus ac supervacaneus omninò fuerit Sanctorum Patrum conventus.* Libro 2, Ex Canone VI. universalis Synodi primæ, probat, decretum fuisse, ut parti orbis terrarum Alexandrinus, parti Romanus, parti verò Antiochenus præsit; neqvè licere alteri, aliena invadere. Interim Nostrates, Veteris Romæ Episcopo πρωτοκαθεδρίαν externam adhuc concedunt, uti ex B. Lutheri T. 5. Witteb. Lat. in comm. Gal. 2. f. 299 apparet. *Papam venerari*

nemeri, & personam ejus colere velim, si relinqueret mihi conscientiam liberam. Et alibi: *Nihil fidei meæ nocet, si Pontificem honoro, meq; ad ejus pedes abjicio, modò mihi primam tabulam puram & liberam relinquat.* Qvæ omnia satis testantur, qvàm discretè nostrates adhuc sentiant de Papà Romano.

CAP. IIX.
DE AMPLITUDINE CHRISTIANORUM, *per Asiam & Africam.*

§. I.

QVod his ultimis temporibus tota Asia, licet abundet Christicolis, non tamen eo nomine, sicut olim, florescat seu innotescat Nobis Europæ incolis, Tyrannis Muhammedanorum vetat, & typographiæ defectus istis in Terris.

§ II. Aliam hujus occultationis causam ex Brocardo, (qvi per decennium Asiam propè omnem peragravit,) allegat Philippus von Marnix / parte tertiâ, der Taffel vom Unterscheid der Religion. cap. XI. his verbis: Es ist eine grobe Unwissenheit/ daß man gedencken wolte/ daß in den grossen Ländern Asiæ biß an Indien/ keine Christen seyn solten: die Ursache aber/ davon solches herkombt/ ist diese/ das die Armenier/ Cappadocier/ Griechen/ Chaldeer/ Meder/ Parther/ Indianer/ Nubianer/ Jabeener/ Asianer/ Georgiener und viel andere mehr/ keine Kriegs-Leute/ sondern mehrertheils Handwercks und Ackersleute seyn/ derhalben sie auch den Türcken/ Saracenern und Tartarn unterthan seyn müssen/ welches die Gedancken machet / als wenn alle dieselbigen Länder Mahometisch oder Heidnisch weren/ so doch in der Warheit der mehrertheil Christen seyn/ &c. Ex le Blanc, cap. 25, probat Christoph. Arnold, Autor des Asiatischen / Africanischen und Americanischen Heydenthumbs/ in der außerlesenen Zugabe: Wie die äussersten Indianer annoch die Christen/ so sie Ramata heissen/

§. III. Nobilis Moltichius, in annotatis, ad Relig. Medicl. p. 160. abundantiam Christianorum per universam Terram, hunc in modum comprobat. Sunt Christiani per totam Asiam sparsi, in sectas tamen, ut in Europâ discissi. Qvidam illorum seqvuntur Nestoriana, qvidam Eutychiana dogmata. In Africa est vastissimum Abyssinorum regnum, totùm Christo subjectum. Habet & Ægyptus Christianos, qvanqvam paucos. Illa Americæ pars, qvæ Hispanis paret, jugo Christi se submisit. Si pl. scire aves, lege Boteri lib. de Relig. Calixt. in lib. de Stud. Theol. inst. & nuper edit. libellum, de divers. gent. Relig Bernh. Varenii.

§. IV. Idem in Annot. ad sect. 55, hæc habet. Per totam *Asiam* reperiuntur Christiani, Græcæ Ecclesiæ addicti, ut & Nestorianismo & Dioscorianismo. vid. Boter. rel. part. 3. l. 2. *Armenianos* ab Eutychianismo liberos esse testatur, ex propriâ illorum confessione, Calixtus in introd. ad Stud. Theol. De omnibus Provinciis Asiæ, ubi adhuc Christiani sunt, scripsit Boterus ac Calixtus in cit. loc. & Bernh. Varen. de divin. gen. Relig. Accusat Boterus & Christianos *Assyrios, Chaldæos, Mesopotamios, Parthos, Medos*, Nestorianismi, sed Calixtus fatetur, illos apertâ confessione Nestorii dogmati anathema dicere. In *Africa* sunt *Abyssini*, vid. itiner. Æthiopiæ Fr. Alvarez, etiam immunes ab Eutychianismo. In *Ægypto* Christiani appellantur Cophti, Eutychianismo inqvinati. Iniqvè E. qvidam Ecclesiam Christi intra certas Europæ Provincias cohibent, Alexandro M. haud multum dissimiles, qvi se universum terrarum orbem occupasse credebat, cùm tamen nondum dimidium ejus subjugasset. Capiant hi sibi istud Hieron Dialog. adversus Luciferianos. *Si Ecclesiam per totum orbem non habet Christus, aut si in Sardinia tantùm habet, nimis pauper factus est.*

§. V. Hæc & alia ostendunt, *Evangelium de Christo prædicatum esse apud universam creaturam, quæ sub cælo est.* Coloss. c. 1. v. 23. qvantumvis ei se opposuerit jam ab initio, qvicqvid uspiam in mundo vel potentiæ robore, vel sapientiæ aut eloqventiæ laude, polluit.

Ultimò, omnes Fideles rogatos volumus, ut pro his *Græcis Ecclesiis*, qvos Apostoli tot Epistolis plantarunt & informarunt, ac seriis gemitibus Archi-Episcopo Jesu Christo commendarunt, sedulò Orare non desistant. AMEN.

( )